



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Sectio Secunda. De forma Baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

SECTIO SECUNDA.

De forma Baptismi.

CONCLUSIO I.

Valet forma Græcorum, quæ huiusmodi est: *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Qui tamen in Ecclesia latina eâ uteretur, graviter peccaret.

Prima pars expressè traditur ab Eugenio IV. in Concil. Florent. ibi: *Forma autem (Baptismi) est: Ego te baptizo in nomine Patris &c. Non tamen negamus, quod & per illa verba: Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris &c. Vel: Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris &c. verum persciatur Baptisma.* Rationem adjungit: *Quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur minister cum Sancta Trinitatis invocatione, persciatur Sacramentum.*

Quod pridem docuerat Doctor Subtilis supra n. 7. inquit: *De forma necessaria ex parte Sacramenti, patet quod ista (ordinaria Ecclesiæ Latinæ) non est talis quantum ad omnia verba, ex hoc quod dictum est, quod Græci verè baptizabant, non tamen sub eadem forma.* Attegit pro noticia eorum, quæ sunt necessaria ad valorem: *Vnde advertendum est, quod in ista forma sunt verba principaliter pertinentia ad eam; aliqua autem non principaliter pertinent, quia expriment minister, actum & suscipientem. Minister enim non est simpliciter necessarium aliquo verbo exprimi, neque pronomine cuiuscumque personæ; quia non est in verbis Christi Matth. ultimo. Alia autem duo, scilicet actum & suscipientem, necessarium est exprimi: sed non determinatè eodem modo, quo isti verbis exprimuntur, scilicet actus verbo indicativi modi, & suscipiens pronomine secundæ personæ; sed potest actus exprimi verbo alterius modi, & suscipiens verbo alterius personæ, ut Græci expriment.*

Si quæras, quare Ecclesiæ Græca noluerit servare

L 1 3

4

1. Principali pars Baptismi est forma.

Timendum, ne illam Heretici immutent. Regius.

Si sit dubium, est Baptismus repetendus.

2.

Ordinaria forma est necessaria. Rit. Rom.

Scoti. An ex parte Sacramenti, an solius ministeri, inquiritur.

3. Et dicitur, quod valeat forma Græcorum.

Uti definitur in Florentino.

Et longè ante docuerat Scotus.

Adstruens quod in forma sint quedam verba principaliter, quedam minus principaliter pertinentia ad illam.

Causa, cui
Graeci alia
utantur for-
ma, datur à
Scoto.
1. Cor. 1. v.
12.

servare formam istam? Causam (inquit
Scotus supra n. 5.) tangit Apostolus 1. Cor. 1.
Hoc autem dico, quod unusquisque ve-
strum dicit: ego quidem sum Pauli &c.
gloriabantur enim de ministris baptizantibus
quasi eis adscriberetur Baptismus, & redarguit
eos & istam eorum contentionem, dicens: Di-
vinitus est Christus? Et propter hoc, ortum fuit
inter eos schisma, & ordinatum fuit inter eos ad
istud schisma tollendum, ne minister exprimeretur
in propria persona, nec actus in indicativo
modo, sed optativo: quia tunc minister non signi-
ficatur esse auctor Baptismi; sed tantum mini-
ster desiderans & vrans effectum Baptismi con-
ferendum à Deo: & suscipiens etiam non exprime-
retur in secunda persona, sed in tertia; quasi
non precise reciperet, quod recipit ab aliquo ser-
mone sibi dirigente.

De eius
validitate
nefas est du-
bitare;

Nefas ergo sit dubitare de validitate hu-
jus formae, quae à temporibus Apostolorum in
Ecclesia Graeca licita, rationabilis, imò præcepta
fuit; utpote usu & consuetudine recepta. An
autem hodie cessante ista causa liceat? respon-
det Doctor noster supra num. 6. Vel Romana
Ecclesia prohibuit istam formam quantum ad eos; & tunc peccant
servando (quod expresse non invenitur in aliquo
capitulo speciale mentionem faciente de eis) vel
si permisit sive concessit, licitum videtur eis illam
formam continuare. Et si tali permissione seu li-
centia stante, in Concilijs suis particularibus or-
dinaverunt inter se talem formam esse servan-
dam, videtur quod minister eorum tenetur eam
servare: sicut stante illa permissione Ecclesie Ro-
manae, quod alicubi fiat trina immersio, alicubi
una; in illa Ecclesia, qua determinavit trinam
immersionem servandam, sic faciendum est, &
est de necessitate ministri præceptum & modum
proprie Ecclesie servare.

Quæ etiam
nunc, Eccle-
sia permit-
tente, licite
utantur.

5.

Atque hæc sit probatio secundæ partis
conclusionis, de qua sic discurtit idem Do-
ctor ibidem n. 5. Si queratur de forma se-
cundo modo necessaria, hoc est, de forma neces-
sario observanda à ministro; dico, quod in tota
Ecclesia Romana forma necessaria hæc est, de
qua queritur (Ego te baptizo &c.) forma
necessaria scilicet ministro; & hoc loquendo de
ministro, cui competit ex officio baptizare: nam
istum non potest ignorancia excusare, quia te-
netur scire illa, quæ sunt sui officij, ad quod de-
putatur.

Tenetur
Latinus
sub peccato
uti formam
ordinatam,

Probat: Quia quilibet minister in Ecclesia
Romana tenetur necessario illam formam servare,
quam talis Ecclesia imposuit ministris: hu-
iusmodi est ista, de qua queritur. Patet ex cap.
si quis 1. extra de Baptismo & eius effectu,
quod est Alexand. III. Si quis puerum ter in
aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, &
Spiritus sancti amen; & non dixerit: Ego te

baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spi-
ritus sancti amen; non est puer baptizatus.
Confirmatur ex Florent. supra, Rit. Rom.
& perpetuo usu.

Cumque forma Sacramenti indubie sit
res gravis; notabilis ejus variatio, etiam
solum accidentalis, contra ritum proprie
Ecclesie, nequit excusari à gravi peccato.
Porro magnam diversitatem inter has for-
mas quis Theologus non libenter fateatur?

Et ideo hanc partem conclusionis docent
Reginaldus lib. 27. num. 24. & alij
communiter, quos sequitur Dicastillo disp.
1. dub. 3. num. 44. addens non videri
eamdem rationem de eo, qui baptizaret
vulgari sermone: aliquando enim admini-
stratur sic in Ecclesia latina, nunquam cum
forma Græcorum, et si aliquando valeret.
Sicuti Sacerdos in Ecclesia latina valide
consecrat panem fermentatum, quamvis
graviter peccet; quia notabiliter immutat,
et si dumtaxat accidentaliter, materiam Sa-
cramenti contra ritum suæ Ecclesie.

Interim Ecclesia in substantialibus Sa-
cramentorum nunquam aliquid mutavit
(ut ostendimus disp. præced. sect. 3. con-
clus. 4.) neque potest. Unde si materia
aut forma semel & in una Ecclesia est essen-
tialis, semper & in omni Ecclesia talis per-
manet, donec & usque à Christo, qui eas
determinavit, aliter ordinetur.

Ex jam dictis non difficulter colligitur,
quæ sit forma necessaria ex parte Sacramen-
ti: pro majori tamen claritate pono se-
quentes conclusiones.

CONCLUSIO II.

Ut forma Baptismi valeat, de-
bet exprimere actionem mi-
nistri.

Est communis. Ratio à priori volun-
tas Christi, quæ sumitur ex illo Matt.
ultimo v. 19. Baptizantes eos &c. secun-
dum communem & perpetuum intel-
lectum Ecclesie. Alias enim si accipiantur
verba prout jacent, videretur sufficere ablu-
tio in actu exercitio; siquidem eodem loco
dicitur: Docere omnes gentes; & Luc. 22.
v. 19. Hoc facite in meam commemorationem:
non tamen propterea debent Sacerdotes di-
cere, se consecrare, neque baptizans, se
docere: satis est actuale exercitium. Et sic
fortè etiam in Baptismo posse sufficere
externa

6.
alloque
gravi:

Reginaldus
Dicastillo

Secus, si
uteretur
vulgari ser-
mone.

Sacerdos
consecrans
fermento-
rum panem
sacramen-
ti

Substanti-
alis est in
omni
tenet ab
Ecclesia

7.
Forma est
perpetua
actuum
ministerij

Matth. 19.
Quæ sic
semper va-
let in Ec-
clesia

Luc. 22.
v. 19.

externa

Sect. 2. De forma Baptismi. Concl. 2. 271

externa lotio absque illis verbis, nisi Apostoli & tota retrò Ecclesia aliter verba Christi intellexissent.

Uti & illa verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Alioquin Mar. 16. v. 17. volens Christus significare, quam potestatem habituri essent credentes in eum, ait: *In nomine meo demonia ejicient, hoc est, in virtute mea, non autem, in prolatione istorum verborum.*

Quare autem Christus voluerit verbis exprimi actionem ministri baptizantis potius, quam docentis, aut consecrantis, vel dæmonia ejicientis, ratio congruentiæ est, ut non solum per materiam, sed etiam per formam explicitè & determinatè significaretur lotio animæ à peccatis, præcipuumque mysterium fidei, in fidei Sacramento, sive in prima fidei professione; quod non fieret, si minister uteretur solâ lotionem externâ, vel si dumtaxat diceret: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti;* cum illa verba non habeant perfectum & determinatum aliquem sensum.

Dices: Eusebius lib. 4. cap. 11. refert de Valentinianis: *Adducentes eos ad aquam, & baptizantes, hac super eos proferunt verba: in nomine (aiunt) ignoti Patris omnium, & in veritate omnium matris, & in eo qui descendit in Iesu.* Non aiunt: *Ego te baptizo.* Unde fortassis in Ecclesiâ verba illa tunc temporis non usurpabantur. Ita quidam nuper in publicis thesibus.

Respondo: Eusebius hæc refert de quodam Marco & ejus sectatoribus. Accipe verba Eusebij: *Idem quoque ipse Irenæus, immensum profundum Valentini erroris de materia & cæteris validissime coarguit, & serpentis in modum, cæcis semetipsum latebris obtegentem, in lucem protrahit ac denudat. Iis adiungit & de Marco quodam, quem dicit magicis artibus imbutum, & apprimè enituisse. De cuius profanus superstitionibus & arcanis non tam sacris, quam sacrilegis & mysticis mysterijs, ita scribit: Etenim quidam eorum thalamum construunt, & nefarium quoddam initiandi celebrant genus, tamquam secretis quibusdam carminibus ac verbis, non tam sacris, quam execrabilibus, eum qui introducitur consecrantes, spirituales nuptias aiunt esse quod faciunt, instar videlicet supernarum coniugationum. Adducentes verò eos &c. ut supra: Alij verò Hebræica nomina ad pavorem audientium super eos, quos initiant, terribiliter loquuntur. Hæc de sectatoribus Marci Irenæus scribit. Hucusque Eusebius.*

Et verò quia homines profani, superstitioni & sacrilegi non aiunt: *Ego te baptizo,* bene infertur: Ergo fortassis in Ecclesiâ verba illa tunc temporis non usurpabantur?

Nonne bene sequitur: sectatores Marci aiunt: *In nomine ignoti Patris omnium &c.* ergo fortassis in Ecclesiâ verba illa tunc temporis usurpabantur? Sectatores Marci Hebræica nomina ad pavorem audientium super eos, quos initiant, terribiliter loquuntur: ergo fortassis in Ecclesiâ nomina illa tunc usurpabantur? Non sic benignè Lector, non sic: sed in Ecclesiâ & ab Ecclesiâ tunc temporis usurpabantur verba illa: *Ego te baptizo &c.* vel ostendatur nobis, ubi & quando incæperit eis uti Ecclesiâ.

Hercule in libro, qui intulatur: *Ordo Romanus antiquus de divinis Catholica Ecclesia officijs & ministerijs per totius anni circulum, & scriptus putatur sæculo 8. vel 9. ita legitur: Tunc accipit (Pontifex) eum (infantem) & dicit: Et ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et reddit eum patris vel matris.*

Quod probè sciens Alexand. III. cap. 1. de Baptismo sic ait: Si quis puerum ter in aqua immerferit (id est, secundùm Gloss. ibi, immergendo dixerit) in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti amen; & non dixerit: *Ego te baptizo &c.* non est puer baptizatus. Et Concil. Florent. in decreto de Armenis: *Cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum; aliàs non.*

Perinde verò est sive hic actus exprimitur per verbum *Baptizo*, sive per aliud æquivalens, ut *abluo, tingo, immergo* &c. Item sive exprimitur per verbum activum sive passivum, indicativum sive imperativum (ut vidimus conclus. præced. in forma Græcorum) dummodò tamen actus baptizandi significetur ut actu exercitus; quippe formæ Sacramentorum sunt orationes practicæ exprimentes actu fieri, quod significant.

Quare non valet, si quis dicat: *Baptiza Petrum &c.* cum solum significet ablutionem, ut ab alio exercendam. Aliud est si dicatur: *Baptizetur;* nam in primis licet sit imperativi modi, habet tamen sensum indicativum: veluti si Princeps, vel alius qui habet ab illo potestatem liberandi à vinculis, imperet liberationem his verbis: *Talem libero à vinculis:* ita ut sibi ipsi magis censeatur, quamvis improprie, imperare, quam alteri. Deinde esto habeat sensum imperativum, aut etiam deprecativum (ut

Cap. 1. de Baptif.

Concil. Florent.

9. Perinde est sive actus ministrum exprimitur per verbum Baptizo.

Sive per alia æquivalentia.

Dum modò actus baptizandi significetur ut exercitus de facto.

Hinc colligitur validitas aliquarum formarum.

mayult Scotus supra n. 5.) non dubito, quin significetur actus, qui à ministro exercetur, ut è dicendis clariùs patebit.

10. Hinc probabilis est valor hujus formæ: *Baptizet te Christus in nomine &c.* sive imperativè dictum intelligatur, sive deprecativè; quippe idem est: *Baptizet te*, atque: *Baptizetur talis à Christo*. Porro hoc verbum non est desiderantis & orantis effectum Baptismi conferendum à Deo.

Et hic modus magis congruit attentà ratione, ob quam Græci non exprimunt personam ministri (vide illam conclus. præced.) quia imperativus modus designat auctoritatem ministri; deprecativus autem non ita, sed magis auctoritatem causæ principalis, à qua Sacramentum habet suam efficaciam, licet ministerialiter sit à conferente. Unde sensus est: *Baptizet te* sive *baptizetur te Christus per me tanquam suum ministrum*; quod significat Florent. supra ad dens *ly manibus meis*, ibi: *Vel baptizatur* (quo verbo utuntur Græci) *manibus meis talis in nomine &c.* Quamvis certum sit, Græcos verba illa omittere; quia in circumstantiis satis subintelliguntur.

11. Adde, imperium, sive dirigatur ad effectum Sacramenti, sive ad personam ministri, non posse propriè intelligi; quia neque propriè quis sibi imperat, neque effectus, qui est à causa superiore, cadit propriè sub imperium inferioris; maximè quando non fundatur in potestate jurisdictionis communicatæ, sicut fundatur effectus Pœnitentiæ, qui procedit à potestate clavium. Quidquid sit de hoc, uterque modus significat ablutionem in fieri, sive ablutionem ut exercitam à ministro, non tanquam à causa principali effectus, sed ministeriali & principali externæ lotionis corporis.

Est imperativè aut deprecativè profertur.

Confirmatur ex forma, quæ Constantinus fuit confirmatus à S. Sylvestro (ut refert in suo edicto ipse Imperator) *signet te Deus sigillo &c.*

Dicastillo.

Respondet Dicastillo disp. 1. dub. 5. num. 92. præterquàm quod incertum sit, Constantinum illà formà fuisse confirmatum, nihilominus denotari actionem ministri ut ab ipso procedentem, cum dicantur verba illa hîc & nunc à ministro exequentem cum circumstantiis, quibus positis sufficienter significatur actio ut à ministro procedens.

Sed quis adeo cæcus est, ut non videat etiam illa verba: *Baptizet te Christus*, dici hîc & nunc à ministro exequentem cum circumstantiis &c.?

12.

Dices: Non potest minister imperare

Domino. Respondeo: non potest tanquam superior; potest tamen imperare, id est, efficaciter velle, ut dominus per ipsum aliquid faciat, supposita domini immutabili institutione: & hanc efficacem voluntatem verbo indicativi, imperativi aut etiam optativi modi exprimere; quippe non omnis, qui voluntatem suam sic intimat, imperat tanquam superior suo subdito.

Quando ergo Scotus supra n. 7. dicit: *Ministram non est simpliciter necessarium aliquo verbo exprimi*, intellige directè; nam indirectè semper connotatur verbo, quo directè exprimitur actus baptizandi, sive fit indicativum, sive imperativum; quippe visam actionem & auditam formam sine ulla alia circumstantia quisque ad invicem relaturus est. Unde addit Doctor: *Neque pronome cuiuscumque persone.*

Exprimuntur autem illa verba *manibus meis* à Concil. Florent. non quod Græci istis uterentur (ut mox notavi) quandoquidem ratio, quare mutaverint formam, hoc non permittat; sed declarationis gratiâ, non necessitatis, ut Concilium significaret, aliquo modo, saltem implicite, designari per formam Græcorum ipsum ministrum.

Enimverò non erat intentionis Græcorum significare, solum Deum sine causa instrumentali baptizare; sed ipsum solum tanquam causam principalem baptizare. Quamvis enim per se ipsum solum possit conferre gratiam; tamen de potentia ordinaria ut agit mediante Sacramento, agit mediante ministro ut causa instrumentali: & hoc modo actio Dei mediante Sacramento, quæ explicatur in omni forma, importat & implicite significat actionem ministri conficientis Sacramentum. Si enim per actionem ministri significatur actio Dei; quidni etiam per actionem Dei mediante Sacramento, actio ministri? Relativa siquidem eodem modo se habent ad invicem, & Sacramento necessariò existit ministrum.

Unde neque invocatio Trinitatis referri debet ad Deum, sed ad ministrum deprecantem Deum, ut conferat effectum per invocationem trium Personarum factam in forma à ministro; sicuti sæpè invocamus Deum, ut per nomen sanctum suum sit nobis propitiis: *Deus in nomine tuo saluum me fac &c.* Psal. 53. v. 1.

Sed nec illud *In nomine* designat auctoritatem baptizandi, quam habet minister; aut potius potestatem Dei & unitatem personarum, respectivè ad baptizatum & effectum

effectum ablutionis animæ à peccato.

Hæc pro valore huius formæ: *Baptizet te Christus* sive *Baptizetis à Christo*, cui communiter DD. contradicunt; idque quia in ea non exprimitur actus ut à ministro est, sed totus tribuitur Christo: secus in forma Græcorum, quæ exprimit actum per *ly Baptizatur* vel *Baptizetur*, subintelligendo à me vel manibus meis. Et idcirco dixi, valorem illius formæ probabilem dumtaxat, huius autem omnino certum.

Nobiscum sentit Sotus 4. dist. 3. quæst. unica art. 5. Idemque docere debent omnes, qui formam Græcorum intelligunt deprecativè, Scotus supra n. 5. D. Bonaventura 4. dist. 3. 1. parte art. 2. q. 1. Richardus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Adrianus, & alij; quippe deprecatio illa in forma Græcorum non magis significat actionem ut à ministro est, quam in forma, de qua controvertitur.

Unde etiam (quod bene notandum est) non dicit Concil. Florent. supra: *Si exprimitur actus, ut à ministro procedit &c. perficitur Sacramentum*; sed: *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministerium &c.* Per consequens ipse minister explicitè vel implicitè, directè vel indirectè: nam verba passiva explicitè & directè non denotant personam ministri, sed potius subiectum, in quo est actio per modum passionis; implicitè autem & indirectè connotant agens correlativum, seclusà aliâ particulâ, quæ ipsum exprimeret: etenim correlativa sunt simul cognitione; ergo sunt simul cognitione actio & passio, utpote correlativa.

Ex opposito verò verbum activum, puta *ly Baptizo* directè & explicitè significat personam ministri, et si non apponatur pronomen *Ego*; quippe utrumque primario est institutum ad significandam primam personam. Nonne *ly Baptizo* in ratione significativi essentialiter differt ab hac voce *Baptizet* vel *Baptizetis*? Ergo significat non solum actionem baptizandi (sic enim non differret) sed actionem talis personæ vel talem personam agentem, scilicet illam ipsam, quæ loquitur; implicitè autem & indirectè personam patientem: quia enim actio, quæ terminum habet seu subiectum, essentialiter connotat illud eo ipso quo significatur actio; saltem in consueto & vagè atque indeterminatè significatur etiam id, in quod actio transit; & quia etiam passio ab aliquo provenit, eo ipso quod verbum significat passionem alicuius subiecti, indirectè censetur conno-

tere illud agens, à quo provenit.

Ex his indubitatum est apud omnes *ly Ego* in forma ordinaria Latinorum non esse simpliciter de necessitate Sacramenti. De pronomine *Ego* (inquit Doctor supra num. 14 ad 5.) *verum est, quod non est simpliciter de necessitate formæ neque expressum, neque ut implicitum in verbo prima persona. Sed quantum ad Ecclesiam Latinam (ad minus post tempus Alexandri) necessarium est ministro exprimere Ego: Et Glossa illa Si quis cum probatione sua (retulerunt) potest intelligi pro tempore precedente illam constitutionem Alexandri III. Si quis in nomine &c.*

Probabilius tamen apparet, ejus omissionem non esse peccatum mortale secluso contemptu; teste Soto 4. dist. 3. q. unica art. 5. Valquesio & alijs; quos sequitur Dicastillo supra num. 84. Ratio est parvitas materiæ; quippe parùm conducit ad significationem formæ, maxime cum implicitè ponatur in verbo activo, & nemo dubitet de Sacramenti validitate.

Idem sit iudicium de particula *Amen*: quin imò non satis intelligo in ejus omissione culpam venialem; quamvis enim in constitutione Alexand. III. cap. *Si quis* de Baptismo supra citato exprimitur, tamen in Rituali Romano eam non lego, non est autem verisimile quin exprimeretur, si esset necessaria, etiam solâ necessitate ministri: nam in fine Bullæ Pauli V. Rituali præfixæ sic loquitur Pontifex: *In quo (Ritualis) cum receptos & approbatos Catholica Ecclesia ritus suo ordine digestos confixerimus, illud sub nomine Ritualis Romani merito edendam publico Ecclesia Dei bono indicavimus. Quapropter hortamur in Domino Vener. Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubiq; locorum existentes, & alios, ad quos spectat, ut in posterum tanquam Ecclesia Romana sily, eiusdem Ecclesie omnium matris ac magistra auctoritate constituto Ritualis in sacris functionibus utantur; & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent.*

Et, quod magis mirandum est, cum sæpius hoc Rituale formam Baptismi repetat, numquam addit *ly Amen*, nequidem per modum responsonis ministri; cum tamen in forma Sacramenti Penitentia semper apponat, in qua ad summum requiritur necessitate ministri, minimè Sacramenti. Prout etiam præscribit, ut Sacerdos distribuens Eucharistiam, dicat: *In vitam eternam amen.*

M m

Sed

16. *ly ego non est de necessitate Sacramenti*

Ut tenet Scotus

Imò ejus omisio est solum venialis, Sotus, Valquesio, Dicastillo.

17. Omittere *ly amen*, nequidem veniale videtur.

Bulla Rit. præfixæ.

Cum nunquam in Ritualis formæ addatur.

Formæ Græcorum valor est omnino certus.

15. Sotus.

Scotus. D. Bonavent. Richardus. Durandus. Paludanus. Gabriel. Adrianus.

Exempl.

In quod exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministerium.

14. Sotus.

18. De ly te est major ambiguitas.

Tenetur communissime esse necessarium, Scotus.

Saltem in verbo æquivalenti.

Suarez.

Franc. Piti-gianus.

Dicasillo.

19. Contrarium quidam improfferunt & defendunt.

Eo quod videatur sufficere indirecta personæ baptizandæ connotatio.

20. Oppositum resolvitur.

Sed major ex dictis oritur ambiguitas circa ly Te, quo explicite significatur persona baptizanda; enim verò communissima hæc tunc sententia docet, illam particulam esse de necessitate Sacramenti. Scotus supra n. 7. Alia autem duo, scilicet actum & suscipientem, necessarium est exprimi: agit de necessitate Sacramenti (ut patet ex principio illius numeri) & de explicita & directa expressione, quam ibidem immediatè ante negat necessariam respectu ministri, cum tamen etiam hæc implicite exprimat, ut ostendimus.

Subjungit Doctor: Sed non determinatè eodem modo, quo istis verbis (formæ latinæ) exprimuntur, scilicet actus verbo indicativi modi, & suscipiens pronomine secundæ personæ: sed potest actus exprimi verbo alterius modi, & suscipiens verbo alterius personæ, ut Græci exprimunt. Hanc sententiam expressè docet Suarius hic disp. 2 l. sect. 2. conclus. 3. Franc. Pitigianus dist. 3. q. 2. a. 4. & alij quamplures, quos citat & sequitur Dicasillo supra n. 83.

Contrarium à paucis annis aliqui improfferunt & publicè defenderunt. Primus quidem sub hac forma verborum: Baptismus, Confirmatio, Ordo, videntur validè conferrì posse non expressè verbis personæ suscipientis, v. g. si quis dicat: Hic Baptismus datur in nomine Patris &c. Secundus utitur his verbis: In ea (forma Baptismi) exprimi sive significari aequaliter debent persona baptizans, baptizanda & actio ministri tanquam ab eo procedens; quod ultimum si sufficienter fiat in forma Græcorum, cur non valeat forma latinorum omisso ly Te? Tertius absolute asserit, verò similiter sufficere tacitam sive indirectam connotationem personæ baptizandæ.

Pro qua sententia sic posset aliquis argumentari: Sufficit indirecta connotatio personæ baptizantis per ly Baptizetur; ergo etiam sufficit indirecta connotatio personæ baptizandæ per ly Baptizo. Nilominus inhærendo vestigijs Doctoris nostri Subtilis, cum communi sententia dico:

CONCLUSIO III.

Invalidè confertur Baptismus non expressè, ly Te, aut alijs verbis æquivalentibus, personæ suscipientis.

Ratio necessitatis (inquit Scotus supra) quod illa duo sic, vel sic exprimerentur,

sumitur ex illo Matth. ultimo: Baptizantes eos, &c. Vbi exprimitur (utique diversis verbis) actus & suscipiens, non minùs, quàm invocatio SS. Trinitatis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ (ut videbimus conclusione sequenti) ex illo loco maximè probatur necessaria necessitate Sacramenti, prout eum semper intellexit universalis Ecclesia, cujus est iudicare de vero sensu & intellectu Scripturarum.

Ex quo plana redditur responsio ad fundamentum novæ illius sententiæ; equidem non nego, personam baptizandam indirectè connotari per ly Baptizo; imò etiam directè per ly Baptizetur aut Hic Baptismus datur; sed assero illam connotationem non sufficere, prout sufficit connotatio personæ baptizantis; tum quia major baptizantis expressio non significatur verbis Christi Matth. ultimo: Baptizantes eos &c. tum propter definitionem Ecclesiæ, approbantis in Concilio Florent. formam Græcorum, in qua tacitè solum connotatur persona baptizans; expressis autem verbis denotatur persona baptizanda, quando dicitur: Talis servus.

Et ideo addidi in conclusione: Aut alijs verbis æquivalentibus, v. g. Hunc vel Ioannem vel Vos aut Vestram dominationem, et si tales aulicissimi in collatione Sacramentorum non sint liciti, sed nec graviter peccaminosi.

Dices cum Auctoribus supra citatis: Florentinum nihil aliud exigit, quàm ut exprimat actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum SS. Trinitatis invocatione; atqui hoc fit quando dicitur: Baptizo vel Datur hic Baptismus in nomine Patris &c.

Confirmatur ex forma Confirmationis: nam licet in ordinaria dicatur: Signo te, Confirmo te &c. tamen in Ordine Romano antiquo habetur: Confirmo in nomine Patris &c. Deinde forma Græcorum est hæc: Signaculum domini spiritus sancti (supple: donatur tibi) seu (ut explicat Bessarion Cardinalis) signaculum est donationis (supple: quæ per me tibi fit) spiritus sancti. Si ergo in hac forma satis exprimitur indirectè persona confirmanda (cujus equidem expressio nem æqualiter exigit forma consuetæ, sicut forma Baptismi) cur non in altera satis connotatur persona baptizanda?

Respondeo: quia in Scriptura lego: Baptizantes eos; non autem: Confirmantes eos. Secundò: quia reperio formam Confirmationis à Romana Ecclesia approbatam, & ab Ecclesia Græca usitatam, in qua diversis verbis non exprimitur persona confir-

Sect. 2. De forma Baptismi. Concl. 3. 275

confirmanda; assignent novi illi Doctores hujusmodi formam Baptismi, & jungemus dexteras.

Alioquin cur non valeat absolutio sacramentalis sub hac forma: *Absolvo vel datur hac absolutio in nomine Patris &c?* Quemadmodum enim ratione circumstantiarum, v. g. ablutionis externae, quae fit à ministro, ly *Baptizo* satis perfectè & determinatè significat personam praesentem, quae abluitur; ita etiam ratione confessionis praemissa determinatur absolutio per ly *Absolvo* importata, ad personam confessam & praesentem. Ut quid igitur ly *Te*, aut particula aequivalens communiter existimatur necessaria necessitate Sacramenti Penitentiae?

Certè non ob aliam rationem, quam quia Christus Joannis 20. instituens hoc Sacramentum, dixit Apostolis suis vers. 23. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis &c.* Sicuti eisdem discipulis suis tradens formam Baptismatis, dixerat Matth. ultimo: *Baptizantes eos &c.* ostendens suae esse voluntatis, ut quemadmodum materia Baptismi explicitè & directè, seclusis quibuscumque alijs circumstantijs, significat seu determinat hanc particularem ac individuum personam; ita etiam forma expressis & directis verbis eandem ut distinctam à baptizante exprimeret; prout non exprimit ly *Baptizo* aut *datur hic Baptismus*; quia potest quilibet seipsum lavare & sibi ipsi dare ablutionem, sicuti seipsum communicat, & sibi ipsi administrare potest communionem: neque enim datio illa Baptismi est propria donatio, quae exigit voluntariam acceptationem donatarij, cujus parvuli incapaces sunt, sed administratio dumtaxat seu confectio Sacramenti, quae si Deo placuisset non necessario respiceret suppositum distinctum, sicuti de facto ex institutione Christi respicit.

Cur autem Christus voluerit, ut magis verbis exprimeretur persona baptizanda, quam baptizans, cum utraque aequaliter concurrat ad ablutionem externam, praesens ipsum est. Quis consiliarius ejus fuit? Si liceat rationem divinatorum operum investigare, non incongrua videtur, quia per Baptismum persona baptizanda inscribitur catalogo fidelium, & recipitur in familiam Christi per solemnem fidei professionem, qua constituitur debitor non solius fidei tantum, sed etiam universae legis Christi servandae.

Accedit, quod Baptismus ex baptizato, & non baptizante, accipit suam determi-

nationem seu individuationem; ergo ut exprimaturs actus in individuo determinatus qui per ministrum exercetur, oportet ut verbis exprimaturs persona baptizanda.

Ex quo respondeo ad argumentum principale desumptum ex Concilio Florentino, negando minorem; nam, praeterquam quod nulla fuerit cum Graecis controversia circa expressionem suscipientis, ut constat ex formis à Concilio assignatis, in quibus persona baptizanda significatur per ly *Talis servus Christi*; quamquam melius potuisset exprimi, ut notat Scotus supra n. 6. nomine proprio: *Non enim* (inquit) *iam servus Christi baptizatur, sed baptizatur ut sit servus Christi, loquendo de servitio spirituali, quo Christianus est servus Christi.*

Praeter hoc, inquam, non satis apparet, quomodo per ly *Baptizo* aut *Datur hic Baptismus*, sufficienter exprimaturs actus, qui per ipsum exercetur ministrum, utpote determinatus in individuo ad hanc individuum personam, idque distinctam à conferente, cum tamen verba illa indeterminata sint & indifferentia ad hanc vel illam personam, eandem vel distinctam significandam, ut statim ostendimus.

Adde, quod si hoc argumentum aliquid probaret, eodem aut simili argumento ex eodem loco illius Concilij concluderetur, non esse necessariam ad valorem explicitam invocationem SS. Trinitatis per nomina Patris, Filij, & Spiritus sancti, aut aequivalentia, si talia dentur. Pater: quia Concil. Florent. non requirit illa nomina, sed simpliciter Sanctae Trinitatis invocationem: *Si exprimitur* (inquit) *actus, qui per ipsum ministrum exercetur cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Et tamen juxta communem sententiam, etiam eorum qui huic conclusioni contradicunt, non valet si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis* quamvis Joannes Poncius summæ Theol. disp. 41. num. 23. asserat non posse id certo probari. Intelligit certitudine fidei; nam quod concorditer docent omnes Theologi isdem prorsus innixi fundamentis, non potest non esse theologicè & moraliter certum.

Respondent autem omnes ad Concilium Florent. intelligendum esse de invocatione SS. Trinitatis secundum formas Latinorum & Graecorum, quas immediate ante praemisit, in quibus Trinitas exprimitur nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti. Similiter & ego respondeo per expressionem actus ministri,

M m 2 Concilium

Alioquin dicamus sufficere hoc verbum; absol.

Joan. 20. Cum forma Baptismi & absolutio nis sit par ratio.

23. Cur exprimaturs magis persona baptizanda quam baptizans.

Stat pro ratione voluntatis Christi.

Assignatur nihilominus consequentia.

24.

Respondetur arguendo ex Concilio Florent. desumpto.

Scotus.

25.

Cujus aequivalentia argumenti veritas concluderet contra Adversarios.

Florent.

Ostendens non esse necessariam explicitam Trinitatis invocationem per nomina Patris &c. Joannes Poncius.

Neque valet Adversariorum evasio.

Summa Theol. disp. 41. num. 23.

Concilium intelligere illam, quam præferat in ordinaria forma Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, in qua verbo Te aut æquivalenti significatur persona suscipiens.

26. Qui sic ministraret, certo graviter peccaret.

Ad minus itaque Baptismus aliter collatus erit dubius, & sub conditione reiterandus; adeoque graviter peccaminosus extra necessitatem: quod in similibus formis dubijs bene est notandum.

Magis certum est, non valere Baptismum sine invocatione SS. Trinitatis; quamvis hæc in Confirmatione aut alijs Sacramentis (ut proprijs locis videbimus) non ita requiratur. Dubitatur autem, an exprimenda sit Trinitas nominibus distinctis singularum personarum? Pro resolutione erit

CONCLUSIO IV.

Forma Baptismi essentialiter requirit invocationem SS. Trinitatis per distincta nomina singularum personarum.

27. Invocatio Trinitatis debet fieri per distincta nomina personarum. Patet ex Scriptura Matth. ult.

Nil certius est, ex communi & perpetuo intellectu illius Scripturæ Matth. ultimo: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quam invocationem SS. Trinitatis esse necessariam ad valorem hujus Sacramenti, quod specialiter à Sanctis Patribus appellatur Sacramentum fidei; quia externa & solemnis ejus professio, cujus præcipuum mysterium est Unitas & Trinitas in Divinis, Unitas in essentia, Trinitas in personis.

Quapropter Concil. Florent. supra distinguens inter verba essentialia & non essentialia: Si exprimitur (inquit) actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Ergo à contrario sensu, si non exprimitur actus cum invocatione Sanctæ Trinitatis, non perficitur Sacramentum.

Et Concilio Florentino.

Dubitas autem, quibus verbis oporteat SS. Trinitatem invocare? Consule formam in eodem Concil. præscriptam, & certissime scias, quoniam nomina Patris, Filij, & Spiritus sancti sufficientissima sunt. Sed numquid essentialia?

28.

Baptismus in morte Domini colla-

Quibusdam Hæreticis placuit baptizare in morte Domini: sed hic Baptismus reprobatur can. 49. aliàs 50. Apostolorum, & refertur de consecrat. dist. 4. cap. 79. Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam mer- sionem unius mysterij celebret, sed semel mergat

in Baptismate (quod dari à quibusdam iuberetur in morte Domini) deponatur. Non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate; sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Alijs visum fuit conferre Baptismum in nomine Domini, quos refutat Pelagius Papa scribens Gaudentio Episcopo in hæc verba (habentur de Consec. dist. 4. c. 30.) Si reverà hi de hæreticis, qui in locis tuis dilectio- ni vacans commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiuslibet dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabim. Ergo ex mente hujus Pontificis non solum illicitus, sed etiam invalidus fuerat ille Baptismus; alioquin sacrilegè præciperet eos rebaptizari.

Eodem modo intelligo quod scribit idem Pelagius eidem Gaudentio Episcopo de Baptismate dato in nomine solius Christi, c. 82. de consec. dist. 4. Multi (inquit) sunt, qui in nomine solummodo Christi, unà etiam merione se afferunt baptizare. Evangelicum verò præceptum ipso Deo & Domino Salvatore nostro Iesu Christo tradente nos admonet in nomine Trinitatis, trinam etiam merionem sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris &c.

Et quamvis non addat taliter baptizatos esse rebaptizandos; credo eisdem esse rebaptizandos saltem sub conditione, quia absque dubio præceptum divinum, quod in illis verbis allegatur, concernit non quidem trinam merionem (ut ostendit Scæ. præced. conclus. 8.) sed invocationem SS. Trinitatis per distincta singularum personarum nomina; quippe nomen Christi distinguitur hîc & opponitur nomini Trinitatis, cum tamen in Christi nomine Trinitas implicite invocetur, ut statim videbimus. Porro præceptum divinum non videtur datum nisi de essentialibus Sacramenti: nam accidentalibus reliquit Christus dispositioni suæ Ecclesiæ, ut diximus agentes de materia & forma essentiali Sacramentorum, disput. præced. sect. 3. conclus. 4.

Confirmatur ex cap. 83. ejusdem distinctionis, quod est Zachariæ Papæ ad Bonifacium Episcopum in epistola, cujus initium: Sacris liminibus, in qua sic scribit Pontifex: In synodo Anglorum decretum, & iudicium firmissimè præceptum & diligenter demonstratum esse dignoscitur, ut quicumque sine invocatione Trinitatis mergatur, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est: quia si lotus in fonte Baptismatis

quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus. Hoc quoque observari in pradicta Synodo sacerdotes voluerunt, ut qui vel unam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma esse verum non posset. Quod pro certo verum est: quia qui unam ex sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim constitetur Patrem & Filium, si confessus non fuerit & Spiritum sanctum, neque Patrem habet neque Filium: & qui confessus fuerit Patrem & Spiritum sanctum, & Filium non fuerit confessus, neque Patrem habet neque Spiritum sanctum, sed vacuus est a divina gratia.

Dices: Qui nominat Christum (teste D. Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 12.) nominat totam Trinitatem; sic quippe loquitur hic Sanctus in principio capitis citati: Neminem vero debet offendere illud Apostoli, quod nominis Patris & Spiritus sancti mentionem in Baptismatis commemoratione siquenter omittit. Neque ideo putet harum vocum usum esse indifferenter. Quicumque (inquit) in Christum baptizati estis, Christum induistis. Quicumque in Christo baptizati estis; in mortem illius baptizati estis.

Siquidem Christi appellatio, totius Deitatis est professio; quippe que simul declarat & Deum, qui unxit; & Filium, qui unctus est; & Spiritum sanctum, qui est unctio.

Clarius loquitur ad idem propositum S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. circa principium: Sicut (inquit) qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quia unum nomen, potestas una; ita etiam ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filij, aut Spiritus designatur, non solum ad sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium: nec solum ad Patrem; sed etiam ad Filium refertur & Spiritum. Denique & Aethiops Eunuchus Candacis reginae baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.

Et infra: Nunc consideremus, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum, ita etiam sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterij plenitudinem. Pro responsione subiungit: Rationem sequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem a quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum sanctum quo unctus est, designasti. Ac paucis interjectis: Unde & rationi copuletur auctoritas; in Spiritu quoque recte baptizare nos posse, Scriptura indicat dicente Domino: Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto. Et alibi Apostolus ait: Omnes enim in unum corpus in uno Spiritu bap-

tizati sumus. Ergo eum, qui baptizat in nomine Christi, censent D. Basilius & Ambrosius baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Verba D. Ambrosij refert Beda in cap. 10. Act. & subscribit Theophylactus quoque in cap. ultimum Lucae ad quaestionem: Quomodo Baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, praesertim cum alias doceamur baptizare in nomine Patris &c. 3. responsione ait: Christi nomen in se continet & Patrem invigentem, & unctioem Spiritum, & unctum Filium.

Amplius dico; Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 104. fretus auctoritate Scripturae & D. Ambrosij ausus fuit asserere, etiam de facto Baptisma in nomine solius Christi valere. Verba ejus referuntur c. 24. de Consec. dist. 4. A quodam (inquit) Iudaeo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis; & quid de his sit agendum, consulturis. Hi profecto si in nomine S. Trinitatis (puta explicitè, ut solet in decretalibus & PP. intelligi Baptisma datus in nomine Trinitatis) vel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemq; est, ut S. exponit Ambrosius) constat eos non esse denud baptizandos.

Ambrosium & Nicolaum sequuntur Magister 4. dist. 3. Cajet. Hugo, Adrianus citati apud Mercerum fol. 61. & multi alij Canonistae. Imò Magister cum D. Ambrosio docet, valere Baptisma, si fide mysterium Trinitatis teneatur, etsi una tantum persona nominetur. Et è converso non valere, etsi tres nominentur, si non rectè de aliquo illorum sentiantur.

Verba D. Ambrosij sunt: Vbi non est plenum Baptismi Sacramentum, nec principium, nec species aliqua Baptismi estimatur. Plenum autem est, si Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum fatearis. Si unum neget, totum subruet. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneget, plenum est fidei Sacramentum: ita etiam licet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicas; & aut Patris, aut Filij, aut Spiritus Sancti minus potestatem, vacuum est omne mysterium.

Intelligendum est hoc (notat bene Magist. supra lit. E.) super eum, qui non intendit, nec credit baptizare; qui non tantum caret fide, sed etiam intentionem baptizandi non habet. Certum quippe est, errorem circa mysterium Trinitatis non obesse valori Sacramenti, si minister absolute & efficaciter intendat facere quod facit

31. Alijs favet D. Basilius, dicens

Christi appellationem totius Deitatis esse professionem;

Et Sanctus Ambrosius, aliter

Baptizatum in Christo plenum mysterium esse coniectum;

Ab. 1. v. 5. 1. Cor. 12. 7. 13.

Et Theophilactus, affirmans

Christi nomen continere tres personas;

32. Et Nicolaus 1. r. e. solvens

In Christi nomine collatum Baptisma esse validum.

Quos quidam sequuntur Scholasticici. Magister. Cajetanus. Hugo. Adriani.

Verba S. Ambrosij

Magister;

Ecclesia. Vide dicta disp. præced. sect. 7. conclus. 4. & 5.

33. Apostoli sic valide & licite contulerunt.

Quod attinet ad mentem Doctoris Subtilis, docet in primis Apostolos aliquando valide & licite baptizasse in solo nomine Christi, 4. dist. 3. quæst. 2. num. 9. ibi: De quinto, scilicet de nomine Christi, patet quod aliquando licitum fuit baptizare, Act. 2. v. 38. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Cap. 8. v. 12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Cap. 10. de Cornelio v. 48. Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Et 19. v. 5. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu.

Ut docet Scotus ex varijs Scripturis,

Respondent quidam, ibi In nomine Christi idem esse, quod in potestate & Baptismo Christi; sicuti dicitur Marci ultimo v. 17. In nomine meo, id est in potestate mea, demonia eijcient.

34.

Sed contra: In nomine Matth. ultimo significat invocationem; ergo & in Actis, à paritate rationis ac subiectæ materiæ, & tam constanti repetitione ejusdem formæ loquendi, quam ante Doctorem nostrum ita intellexit Nicolaus Papa supra, & quilibet non præventus primo occurfu intelligeret, & intellexerunt Principes Theologorum, quorum auctoritas sufficit ad sensum probabilem.

Accedit, quod Act. 8. & 10. nulla fuerit necessitas explicandi differentiam inter Baptismum Christi & Joannis: etenim neque Samaritani, de quibus agitur cap. 8. neque Gentiles, de quibus loquitur cap. 10. sed solum Judæi Baptismum Joannis receperant.

35. Quibus se aliquis opponit.

Reponit rursus aliquis: Act. 19. v. 4. dicitur: Ioannes baptizavit Baptismo Penitentia populum dicens: in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum. Et illico subjungitur: His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu, id est, in Baptismo ipsius. Confirmatur ex v. 2. nam cum Apostolus inveniret quosdam discipulos Ephesi, dixit ad eos: Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque est Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Quæ quæstio omnino fuisset impertinens, si in solo Christi nomine baptizari potuissent.

Sumpto ex Actis Apostolorum fundamentum.

36.

Respondeo, Baptismati Christi debere & solere præmitti instructionem in mysterio SS. Trinitatis, cum ejus fides sit dispositio requisita. Unde ex responsione discipulorum suspicabatur Paulus, quod forte tantum essent baptizati in Joannis

Baptismate, quod verum erat; nam respondentes dixerunt: In Joannis Baptismate.

Certe quod ex sola forma ordinaria non debuerint, imò fortè non potuerint credere Spiritum sanctum, vel inde satis probatur, quod baptizandi non attendant ad singula verba formæ, imo sæpe idioma non intelligant.

Deinde finis interrogationis Apostoli non erat collatio Baptismatis Christi, sed manuum impositio, si necdum forent confirmati. Patet ex textu; nam statim subjungitur: His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu, quia jam cognoverat Apostolus quod nondum essent baptizati Baptismo Christi. Et cum imposuisset illi manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.

Mirabatur autem Apostolus, quod illi, qui erant credentes, vel (ut in Græco est) postquam credidissent, nondum essent instructi de mysterio Trinitatis, quod est primum & principale. Similiter quod ulque modò nihil audivissent de necessitate & fructu Baptismi per collationem Spiritus sanctificantis, de qua Petrus docuerat Judæos Act. 2. v. 38. dicens: Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Iesu in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.

Non ergo impertinens fuisset quæstio Apostoli, etsi in solo Christi nomine baptizari potuissent; ut habet communior opinio Mag. supra, Alensis 4. parte quæst. 8. n. 3. art. 3. D. Thom. 3. parte q. 66. a. 6. ad primum, D. Bonaventuræ parte 1. art. 2. q. 2. & plurium aliorum, contra Armacanum lib. 8. de qq. Armenorum c. 3. quem sequitur Suarez, Sorus, Valq. & pauci alij sine sufficienti fundamento contra planum textum Scripture.

Quod enim quidam dicit, nomen Iesu fuisse ab Apostolis expressum cum cæteris personis, mera conjectura est. Sanè solius istius nominis cur tam constanter fieret mentio, si æquè aliæ personæ expressè fuissent? Igitur modus ille loquendi probabiliter significat solum nomen Iesu tunc fuisse expressum; sicuti quia constanter dicitur, Apostolos contulisse Spiritum sanctum per manus impositionem, colligunt multi hanc solam tunc seu istis vicibus sine Chrismate fuisse adhibitam.

Neque obstat can. 49. alias 50. Apostolorum supra allegatus, ubi reprobatu Baptismus datus in morte Domini, cum tamen Apostolus ad Rom. 6. v. 3. dicat: An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?

Non obstat, inquam; quippe aliud est baptizare

Aliud est baptizare in morte Christi. Aliud in nomine Christi.

baptizare in morte Christi, id est, meritis Christi; aliud in nomine Christi, ut propterea Apostolus pramiserit: In Christo Iesu, & addiderit: in morte ipsius, utique; quia cum essemus inimici, propter nimiam Charitatem, quã dilexit nos, suã sanctissimã passionem in ligno crucis nobis justificationem meruit, cujus causã instrumentalis est Sacramentum Baptismi tunc in nomine Christi, nunc autem in nomine Trinitatis explicite collatum; semper tamen implicitè, utpote contentæ & subintellectæ in nomine Christi.

Itaque videri posset, in canone illo damnari error aliquorum hereticorum, quem in materia prætendebant per unam immersionem, ut excluderent Trinitatem & divinitatem Christi; & in forma In nomine Christi, si eã usi fuerint, quod non constat, cum sensu exclusivo Trinitatis.

Tales fortè heretici fuerunt Bonosiani & Cataphryges, de quibus scribit Gregor. Quirino Episcopo in Iberia lib. 9. epist. 61. & refertur de Consecr. dist. 4. cap. 8. 4. Hi (inquit) heretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani & Cataphryges (quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt: quorum similes multi sunt) & alij tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia Baptisma non sive, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.

Fieri quoque potuit, ut tum satis clarificato nomine Christi & subortã eã heresi, primò dispensatio cessaverit; ratione cujus juxta Doctorem nostrum supra, in primitiva Ecclesia licitum erat baptizare in solo nomine Christi.

39. Equidem an de facto valeat, dubitat Scotus, & nos cum illo, quod non liceat indubitatum est. Sed an modo (inquit) esset baptizatus, si sic traderetur, dubium est. Videtur quod sic baptizans peccaret mortaliter, immò omninò non baptizaret. Primum probatur: quia legem superioris nullus inferior potest revocare nec simpliciter, nec ad tempus. Lex de baptizando in ista forma communis: In nomine Patris & Filij &c. promulgata fuit à Christo Matth. ultimo, & ergo eam pro tempore, pro quo Christus eam non revocavit, nullus alius potest revocare.

Subsumit Doctor: Sed licet dispensaverit in illa lege pro tempore primitiva Ecclesie, quia fuit ratio dispensandi, ut divulgaretur nomen Christi; tamen illa ratione cessante non dispensavit: ergo nullus inferior pro tempore illo posteriori potest alicqualiter à lege illa absolvi.

Consimiliter probatur secundum: quia forma tradita communiter semper manet forma, nisi per formam institutorem pro aliquo tempore fiat aliqua dispensatio; sed forma non fuit dispensative tradita nisi pro tempore, pro quo fuit dispensandi ratio, scilicet in Ecclesia primitiva, ut nomen Christi divulgaretur: ergo tempore illius dispensationis cessante, forma illa sola manet, quæ fuit forma ex institutione.

Et concludens interrogat: Quid ergo? Non audeo dicere, quod baptizatus hodie in nomine Christi esset baptizatus; sed nec audeo dicere, quod non esset baptizatus; quia non lego ubi fuerit illa dispensatio revocata. In hoc ergo casu reputo dubium, an talis sit baptizatus.

Enimverò pro utraque parte exstat decisio Pontificis Romani; pro affirmante quidem Nicolai I. pro negante verò Pelagij & Zachariæ; sic tamen, quod neutra decisio faciat rem fidei, sive oppositam errorem in fide: quoniam (ut cum Suario notat Wiggers q. 66. a. 5. & 6.) ex quo non habentur in tomis Conciliorum integræ Epistolæ Pelagij & Zachariæ, ex quibus Gratianus refert se sumpsisse allegata decreta, non satis constat ceriò Pontifices illos ex Cathedra fuisse locutos, & rem absolutedè definitivè.

Adde, Pontifices non quæcumque declarant, declarare tanquam articulos fidei; sed sæpe oppositum damnare solum tanquam falsum, temerarium &c. fortè etiam inspiciendum est, an Papa faciat declaratione sua rem fidei, quando non declarat aliquid tanquam proponendum & credendum ab universali Ecclesia; sed respondet dumtaxat ad quæstionem propositam à particulari Episcopo aut dicecesi. Et quidem si consultitur ut Pontifex, & ut talis responderet, non videtur posse errare; eo ipso enim indirectè talis res proponitur toti Ecclesie, eamque concernit: secùs dicendum, si interrogetur ut particularis Doctor, vel si respondeat non consultus.

Ex quo patet responsio ad Nicolaum I. constat siquidem quod de præsentì controversia non fuerit interrogatus; sed solum, utrum obstaret valori Baptismatis, quod minister esset Judæus: A quodam (inquit) Iudæo nescitis utrum Christiano, an pagano &c. Respondet autem Baptisma valere siue fuerit Christianus, siue paganus, dummodò usus fuerit legitimã formã. Porro quæ esset legitima forma, ibi non quærebatur; sed occasione inde sumpta explicat suam opinionem, quam ipse de illa tanquam Doctor particularis tenebat, pura quod valeat hæc forma: Ego te baptizo in nomine Christi, ductus auctoritate Scripturæ

40.

Neutra pars est fidei certiora.

Wiggers

41.

Ad Nicolaum supra aliarum respondeatur

Ipsum hoc alterius ut particularem Doctorem,

turæ & D. Ambrosij, quam allegat.

Potuit autem facile fieri, ut Nicolaus non viderit responsum Pelagij & Zachariæ, cum tunc non ita responsa essent collecta, nec per prælum adeò notificata; vel si cognoverit, forsitan aliter duxit ea explicanda, quam modò universalis Ecclesia intelligit, videlicet vel de implicita invocatione Trinitatis contra hæreticos, qui baptizabant in mortem Domini unicâ mentione, ut excluderent Trinitatem & divinitatem Christi; vel de explicita contra illos, qui unam personam nominabant cum positiva exclusione & errore circa alias.

Qui Pelagij aut Zachariæ responsa forsitan non viderat,

Vel aliter intellexerat,

42.

Vel hoc definiendo erraverit,

Quod non foret Sedi Apostolicæ in honorem.

Interim Nicol. in hoc errasse non magis inhonorificum est Sedi Apostolicæ, quam Joannem XXI. errasse tanquam particularem Doctorem, significando opinionem suam de inseparabilitate dominij ab usu rerum usu consumptibilem, si verè fuerit ejus sententia, de quo multi dubitant.

Quapropter gratis omninò recurritur ad quorundam speculationem, causantium voculam exclusivam *Tantum*, quando dicit Pontifex: *Vel tantum in nomine Christi*, non excludere duas alias personas, sed dumtaxat expressam nominationem Filij; nam, præterquam quòd hæc explicatio appareat satis torta, etiam dubitatur de valore hujus formæ; utpote quæ non exprimat secundam personam divinam quæ talem; de quo conclusione sequenti.

43.

Igitur (ut finem imponamus huic controvertentiæ) si quæ forsitan appareat alicui contradictio decretorum, reducat illam ad opiniones contrarias, quarum neutra definita est, & in quibus etiam nunc graves Theologi hæsitant.

Stephanus.

Cyprianus.

Et verò Nicolaum (si credimus Cypriano in Epistolis ad Jubaianum & Pompeium) videri posset præcessisse Stephanus. Sic quippe lego in prima Epistola: *Cum in eadem epistola (Stephani Papæ) adverterim etiam Marcionis feri mentionem, ut nec ab ipso venientes dicat baptizari oportere, quod iam in nomine Iesu Christi baptizati esse videantur &c.* Et in epistola sequenti: *Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis Baptismo &c. contendat filios Dei nasci, & illic in nomine Iesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem & in Dominum Deum Christum?*

Algerius.

Eidem sententiæ accessisse videtur Algerius lib. 3. de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, cap. 13. ubi aperte supponit Baptismum ab hoc Pontifice probatum in nomine Christi tantum, valere, si non sit animus baptizantis er-

roneus circa mysterium Trinitatis.

Cæterum Pelagius, & alij Pontifices tutiorem partem elegerunt, quam & nos malumus pro hoc tempore eligere, adimplante D. August. & plerisque alijs sanctis Patribus ac Theologis, nec non universali praxi Ecclesiæ, quæ in presenti semper baptizat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; quiddid olim fortè fecerit adhuc durante dispensatione divina, de qua Pelagius & Zacharias nullam faciunt mentionem, utpote quæ ante illorum decreta cessaverat.

Et sanè de Ecclesia primitiva, quando vigeat adhuc dispensatio, commodissimè intelligi posset auctoritas D. Basilij, quamvis existimem id minime necessarium. Quidni existimarem? Siquidem inscribitur c. 12. in quo habentur verba præallegata: *Adversus eos qui dicunt sufficere Baptisma tantum in nomine Filij.* Quomodò ergo credibile est, id ipsum in hoc capite velle adstruere.

Certè contrarium indicant ea, quæ sequuntur; quoniam cum dixisset, Apostolum etiam interdum solius Spiritus sancti in Baptismate fecisse mentionem, ut cum ait 1. ad Corinth. 12. v. 13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*; illic subjungit: *At non ideo quis dixerit perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim invariabilem manere traditionem &c.* Et post pauca Provide si in Baptismo separare Spiritum à Patre & Filio, ut periculosum est baptizanti, ita Baptismum accipienti inutile: *Quomodo nobis tutum fuerit à Patre & Filio distrahere Spiritum? Ac tandem in fine capitis concludit: Nam fides perficitur per Baptismum; Baptismus autem fundamento fidei nititur, & utraque rei per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; sic etiam baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

In eundem sensum sumi possunt & explicari verba D. Ambrosij; utriusque quippe Doctoris idem est propositum; non quidem docere Baptismum collatum in solo nomine Christi aut Spiritus sancti, esse validum; sed hoc tantum, quòd dum in Scripturis aliqua divina operatio designatur esse Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti, unam videlicet dumtaxat personam Scripturæ exprimente, cui adscribitur; non debere idcirco ab illa operatione excludi aut separari alias personas, sed operationem illam ad omnes tres debere referri. Ita Wiggers supra num. 29. Considera verba textus, & ita reperies. Titulus cap. 3. est talis:

44. Pelagius alijque Pontifices tutiorem partem elegerunt, quam & nos malumus pro hoc tempore eligere, adimplante D. August. & plerisque alijs sanctis Patribus ac Theologis, nec non universali praxi Ecclesiæ, quæ in presenti semper baptizat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; quiddid olim fortè fecerit adhuc durante dispensatione divina, de qua Pelagius & Zacharias nullam faciunt mentionem, utpote quæ ante illorum decreta cessaverat.

Pro qua nunc ita sententia præter ecclesiam.

45.

D. Basilij intelligitur verba, quæ videntur in hoc capite velle adstruere.

Hoc non est certum.

r. c. 11.

46. Eodem modo intelligitur verba.

Wiggers.

talis: Spiritum Sanctum à Patris Filij, maiestate non secerni.

Confirmatur hæc expositio ex eo, quod habet D. Ambros. lib. de Initiandis cap. 4. ibi: Credit autem etiam Catechumenus in crucem Domini Iesu, quâ & ipse signatur. Sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, remissionem non potest recipere peccatorum &c. In quo capite (ut ex titulo cognoscitur) agit de forma baptismatis.

Quod attinet D. Bernardum, qui epistola 140. videtur approbare Baptisimum datum sub hac forma: Baptizate in nomine Dei, & sanctæ ac veræ crucis; respondet Wiggers supra; illam nullo modo esse approbandam, ut omnes docent. Quare videtur in eo fuisse deceptus; nisi malis dicere cum aliquibus, Bernardum locutum non juxta legem Dei ordinariam, sed ex peculiari quadam indulgentia: quia minister non ex contemptu formæ Ecclesiasticæ, sed ex quadam fidei festinantis devotione (ut ipse loquitur) fuerat illâ formâ usus. Omitto, istam Epistolam esse unam ex illis triginta, quæ posterius additæ sunt, de quibus forsitan non immeritò possumus dubitare, an sint verè Bernardi.

Profectò Scripturas, ex quibus Ambros. colligit, in Spiritu quoque rectè baptizare nos posse, hæcenus nemo sic intellexit, præter Magistrum supra, ut valeat Baptisimus sub invocatione solius nominis Spiritus sancti; sed exponi debent & commodè possunt de effectu, qui est gratia sanctificans, quæ specialiter tribuitur Spiritui sancto, & quâ formaliter baptizamur, sive abluitur anima à peccatis; ut sensus sit, quod in Baptismo consecuti sumus Spiritum sanctum, vel quod virtute Spiritus sancti consequamur Baptismi effectum.

Maneat itaque longè probabilius esse, de facto non valere Baptisimum collatum in solo nomine Christi, Dei, aut morte Domini; imò neque ipsius Trinitatis, de quo nomine sic loquitur & docet Scorus supra num. 9. De nomine Trinitatis patet quod Christus intellexit illas personas explicandas: in hoc autem nomine Trinitatis tantum importantur implicite. Et ideo quod dicit illud capitulum A quodam, Trinitas debet intelligi explicite pro tribus personis, per nomina Patris, Filij, & Spiritus sancti, vel alia his æquivalentia si talia dentur, de quo multi dubitant.

Cajetanus, quem sequuntur aliqui Recentiores, docet valere Baptisimum collatum in nomine Genitoris, Geniti & Spirati, sive procedentis ab utroque. Equidem sensus communis Antiquorum & Re-

centiorum est in oppositum, qui in materia sacramentali multum momenti habet, quatenus signum est voluntatis Christi, qui utique sic potuit instituire, ut usitatis in quovis idiomate verbis minister in hoc Sacramento, Christianismi januâ, uteretur; sicut instituit aquam usualem, & in Sacramento Eucharistiæ panem usualem, ut quamvis pasta fortè specie non distinguitur, nihilominus non valeat.

Inhærentes igitur vestigijs veteranorum militum, qui Ecclesiam Christi non tantum doctrinâ, sed etiam vitæ sanctitate quàm plurimum illustrarunt ac constanter propugnarunt, asserimus

CONCLUSIO V.

In nominibus Genitoris, Geniti & Spirati non servatur forma Baptismi à Christo instituta.

St Scoti 4. dist. 3. q. 2. n. 9. ibi: De nominibus significantibus proprietates, & non personas, ut Genitor &c. dico, quod non servatur in eis forma. Ratio à priori: Quia (inquit) Christus voluit personas vocari nominibus personarum. Ratio congruentiæ: Et rationabiliter secundum illud, quod tactum est in primo lib. dist. 22. ut sicut Iudeis datum erat aliquod nomen significans essentiam divinam sub propria ratione, quod ipsi vocabant nomen Dei Tetragrammaton; ita Christus dedit Ecclesie nomina significantia personas sub proprijs rationibus.

Addit: Si etiam non sic dederit, tamen bene probabile est in aliqua invocatione nomen persone habere aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis persone: petendo enim aliquod donum ab aliquo pro amore Ioannis, cuius impetraretur, quam si loco nominis proprii poneretur nomen significans proprietatem suppositi.

Fundamentum ergo primarium est institutio Christi, accedente usu & interpretatione tam Ecclesiæ, quàm Doctorum communiter. Congruentia: quia Baptisimus est Sacramentum fidei, quo fideles initiantur, invocando & protestando Deum unum in essentia & trinum in personis: ergo conveniens fuit, ut hoc heret per nomina significantia ipsas personas; sicut in veteri lege consuetum erat invocare & profiteri Deum sub ratione essentiae (cujus solus fides explicita tunc singularis erat necessaria) per nomen Tetragrammaton, N n quod

Dubitarunt an valeat

49. Retolvit quod non Cum Scoto,

Propter institutionem Christi, & utum Ecclesiæ,

Et congruentias.

Qui alibi clare ostendit, trinum personarum distinctam invocationem esse necessariam.

47. F. ma D. Bernardi non approbandis;

Imò dubium, an sit ipse.

Non potest quis baptizari in nomine solius Spiritus sancti;

43. Imò neque Dei, aut ipsius Trinitatis.

Scorus.

De Baptismo collato in nomine Genitoris &c.

quod significat essentiam divinam sub propria ratione. Unde & illis vocibus in novo Testamento ubique exprimentur personæ; similiter & in Symbolis, atque alijs Ecclesiæ orationibus.

Confirmatur: quia Baptisma est Sacramentum communissimum, utpote quod ab omnibus est suscipiendum, & ab omnibus in necessitate licite, extra eam salutem valide, administratur. Quidni ergo institutum sit in nominibus magis accommodatis captivi uniuscujusque? Certè nomina Genitoris, Geniti & Procedentis à plebrique non intelliguntur, sed solis Theologis nota sunt.

Dices cum Adversarijs (& est unicum eorum motivum) hæc forma: *Baptizo te in nomine Genitoris &c.* æquivalere ordinariæ; ergo &c. Respondeo primò negando antecedens, Pro quo

Adverte cum Doctore Subtili supra numero 7. quadruplicem posse contingere mutationem secundum verba, scilicet secundum substantiam, qualitatem, quantitatem, & ubi: Prima (inquit n. 8) potest intelligi dupliciter; vel quòd aliud verbum secundum quid ponatur in loco alius verborum illorum, puta alia vox, Flandrica v. g. pro Latina; tamen idem, & sub eadem ratione significans.

Et de hac mutatione pronuntiat n. 9. Quòd manet eadem forma, quia in qualibet lingua potest fieri Baptismus. Fortè tamen (addit) non licet baptizanti ex officio, & solemniter, uti verbis cuiuslibet lingue, sicut nec in consecratione Eucharistiæ: quia ordinavit Ecclesia Romana, quòd officia ecclesiastica dicantur, & Sacramenta ministrantur in latino grammatico: & hoc rationabiliter, quia istud distinctius potest scribi & proferrì.

Pergit num. 8. & assignat 2. membrum; Vel aliud verbum simpliciter, scilicet alia vox aliud significatum habens. Subdividit autem hunc modum inquit: Et si secundo modo, adhuc dupliciter; quia vel illud significatum est omnino disparatum à significato vocis, pro qua ponitur; ut si poneretur Lapis loco huius quòd est Pater (& de illo patet, quòd omnino forma non servatur, ait n. 9.) vel est significatum conveniens omnino habens idem substratum in re.

Et hoc contingit dupliciter, vel quia exprimit distinctè tres personas sub alijs rationibus significatas, quàm significantur per hoc Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & sic est de istis nominibus Genitoris, Geniti & Spirati; ista enim significant personas sub ratione proprietatum: non autem sub ratione subsistentium & hypostasum. Vel illa persona significantur implicite;

& hoc vel tanquam in toto collectivo, quomodo significat eas hoc nomen Sancta Trinitas; vel implicite, ut in quodam importante personarum correspondentiam effectus ad causam: & sic importantur per hoc nomen Christus; hoc enim nomen significat Filium secundum naturam humanam, qui unctus est: & dat intelligere Patrem, à quo unctus est; & Spiritum Sanctum quo unctus est. Hucusque Doctores de mutatione harum vocum quoad substantiam.

Ubi simpliciter & absolute asserit non æquivalere *ly Pater, & Genitor; Filius, & Genitus; Spiritus sanctus, & Spiritus* quomodum significanti, etiam speculative, & apud Theologos, licet convenient in re substrata. Quod explicat ibidem n. 15. his verbis: *Ad illud de Genitoris dicendum, quòd Aug. (5. de Trinitate cap. 7.) ibi intelligit quòd idem est Genitor & Pater quantum ad hoc, quòd est dici ad alterum, sive importat proprietatem eiusdem persone: sed non sunt idem quantum ad primum conceptum significatum utrobique; quia Pater significat primo & per se suppositum in natura divina: aliud autem significat primo & per se proprietatem. Ergo non æquivalent speculative.*

Sed nunquid practice? Audi quòd sequitur: *Et non est eadem vis nominis proprii, & proprietatis nominis in invocatione sacra alius personæ, ad aliquem effectum.*

Dices: hæc petitur manifestè principium; nam æquivalentia practica rectè inferitur ex speculative: pro qua urgeo, quòd etiam Pater formaliter significat proprietatem; ergo &c.

Respondeo negando antecedens: quippe non sumitur Pater in hac forma denominative, sed substantivè, prout subsistit, licet etiam sic importet constitutum sui, scilicet paternitatem: porro notio significat proprietatem; nam licet in re sit eadem cum paternitate; tamen significat actum notionalem, generationem videlicet, ut est ad terminum per modum actus productivi, & non constitutionem personæ sub illa ratione & modo significanti vocis: paternitas autem significat subsistentiam per modum constituentis. Breviter: voces istæ Genitor &c. non significant personas divinas quæ tales, id est, in ratione subsistentium; sed per modum originis unius ad altera.

Addunt aliqui, quòd voces istæ non ita significant consubstantialitatem personarum, sicut Pater & Filius; cum possit unum generare aliud non consubstantialiter v. g. Deus ignem, & (ut vulgò Philosophi loquuntur) homo & sol generare hominem. Sed facile responderi possit, illas gene-

50.
Propositur
unicum
Adversario-
rum moti-
vum,

Pro quo an-
notatur for-
mæ quadru-
plex varia-
tio

Ex Scoto.

53. Consentit Epiphanius.

generaciones esse improprias. Appositè Epiphanius adversùs hæres. hæres. 33. *Ingenitus* (inquit) non significat Patris intelligentiam, *Genitus* nondum significat propriè Filium, sed ad omnia genita communem facit intelligentiam. Et post pauca: Non baptizati sumus in *Ingenitum*, & *Genitum*; sed in *Patrem*, & *Filium*.

Et Athanasius.

Consentit Athanasius oratione 2. contra Arianos post medium, ibi; *Eoq; summam fidei nostra tendere voluit, cum iuberet nos baptizari non in nomine Geniti & Ingeniti, neque in nomine Conditi & Increati; sed in nomine Patris, & Filij &c.*

Jussio itaque divina facit, ut variatio hæc, quæ in alijs Sacramentis solum esset accidentalis (quia voces *Genitor* &c. videntur in sensu convenire, saltem apud Theologos) in Baptismate, de quo in præfenti tractamus, debeat censeri substantialis.

54. Et male loquitur Filij ponereur vox Jesu Christi.

Hinc etiam non valet, si loco vocis *Filij* ponatur vox *Jesu Christi*; quia non exprimitur sufficienter secunda persona: scilicet, si *ly Spiritus* addatur *Paracliti*; quia mutatio illa est solius epitheti, non substantiæ; *Spiritus* enim significat personam.

Rursum invalidus est Baptismus collatus *In nomine primæ, secundæ & tertie personæ*; hæc enim non sufficienter explicant mysterium Trinitatis secundum proprietates personales; neque emanationem unitus personæ ab altera. Idem est, si conferatur *In nomine omnipotentis, & sapientis, & boni*, quæ non sunt nomina propria singulis personis, sed tantum appropriata.

Aliud aliquibus videtur speculativè loquendo, si loco *ly Filij* ponatur *Verbi*: in praxi tamen omnino abstinendum est partim ob consuetudinem contrariam, partim ob dubium; uti etiam à vocibus *Genitoris* &c. de quibus hic principaliter disputavimus; et si concederemus speculativè valere.

Minus valet, si dicatur: *In nomine Ingeniti, & Geniti, & Doni*; quia voces istæ non significant totum id, quod voces usitate: quippe etsi *Deus* una tantum esset persona, adhuc rectè diceretur *Ingenitus*, non tamen esset *Pater*. Hactenus de vocibus significantibus Trinitatem.

55.

Verumenimverò cum Baptismus non minus sit professio unitus Dei, quam trini; restat questio, quibus verbis necessariò necessitate Sacramenti hæc unitas in forma exprimitur? Et quidem in forma communis importatur per *ly In nomine*, ut patet, id est, in virtute substantiali una, in auctoritate, divinitate, invocatione & fide, non baptizantis, sed Ecclesie. Ideoque hæc verba

Scotus supra n. 7. recitat inter verba principalia; dicens: *De verbis autem principalibus, quæ sunt: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et cum illicò interrogasset: An ista sint præcisè pertinentia ad formam? Respondendo ad hanc interrogationem nihil speciale dicit de *ly In nomine*.*

Certum interim est non valere, si dicatur: *In nominibus Patris &c.* quia sic nullo modo significatur unitas, nequidem implicitè; cum tamen ejus professio & invocatio tam necessaria sit, quam Trinitatis. Imò putant aliqui formam fore invalidam, si 3. dicatur *Nomine*; etenim quamvis tunc non significetur diversitas naturæ, sicut prius; non tamen etiam satis exprimitur unitas. Sunt tamen etiam qui existimant valere, sicuti non obstat unitati essentiaè repetitio *ly Deus* ad voces *Patris, Filij & Spiritus Sancti*, dicendo: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.*

Non per *ly In nominibus.*

Utrumque sit de hac controversia (utar verbis D. Ambr. lib. 2. de Sacramentis c. 7.) *In uno nomine baptizari nos iussit, supple, Christus.* Et D. Aug. lib. 3. contra Maximinum c. 32. *In nomine* (inquit) non in nominibus, quia hi tres unum sunt, & hi tres unus est *Deus*. Accedat D. Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. *Non baptizamus in nominibus Patris, & Filij &c. sed in uno nomine, quo intelligitur *Deus*.* Jussioni Christi obtemperemus, & minime errabimus à via veritatis: ipse enim est via, veritas & vita.

56. S. Ambrosius.

Consentit Augustinus.

Et D. Hieronymus.

Si ergo nolumus deficere in administratione Sacramenti primi, & quam maxime necessarij, dicamus: *In nomine*, non *In nominibus*; *In virtute*; *In vel per Patrem, nomine Patris*; hæc enim omnia ad minus practicè dubia sunt, tamen aliqua speculativè loquendo censeri possint æquivalentia.

Enimverò quod ait Regius hic quæst. 66. art. 6. n. 61. *ly In per Hebraicum adjungit, sicut quando dicimus: Credo in Deum; Pulso vel cano in cithara*, quæ phrasi hebræa idem significant quod *Credo Deum*, & *Cano citharâ*, aliquibus displicet. Quia (inquiunt) apud Latinos *facere aliquid nomine alterius* significat *facere ex commissione sive loco alterius*; non autem *in virtute, auctoritate, invocatione* &c. quæ supra diximus importari per *ly In nomine*. Ut ut sit de forma pronuntiata idiomate latino; liquet profectò, quòd pronuntiata idiomate Flandrico, omisso *ly In* planè alium ingerat sensum.

Regius.

Quid sit *facere nomine alterius.*

Similiter dubitant aliqui, an forma valeat, si omittatur *ly &*; saltem utroque loco; quia non videtur sufficienter significari diversitas personarum. Wiggers putat satis certò valere, si ultimo loco ponatur; quippe

57. Omisio *ly &* reddit baptismum dubium.

ita communiter loqui solemus, quando simul plura enumeramus, ut solum ultimo loco ponamus conjunctionem copulativam.

Finio, & rursus dico diligenter cavendam esse quamcumque variationem verborum quoad substantiam; licet enim aliqua non sit substantialis sive essentialis, sed dumtaxat accidentalis; & hæc tamen peccaminosa est, idque graviter, quando non constat certitudinaliter de valore formæ sic variatæ: quæ certitudo rarissima est, ut ex dictis satis colligitur.

Eadem regula observanda est in variatione quoad quantitatem & qualitatem, de quibus egimus præced. disp. sect. 3. conclus. 4. uti etiam in variatione secundum ubi, de qua hæc breviter dico:

CONCLUSIO VI.

Nuda transpositio personarum non invalidat formam. Hæc forma ad minus est dubia: Ego Patris baptizo te in nomine Filij, & Spiritus sancti.

§8. **E**xemplum primæ variationis sit, *Baptizo te in nomine Filij, & Patris, & Spiritus sancti.* Conclusionem hanc quoad utramque partem tenet Scotus supra num. 13. De quarta (inquit) variatione, scilicet ubi, dico quod aliqua transpositio omnino variat sententiam; ut si diceretur, Ego Patris baptizo te in nomine Filij &c. Aliqua autem transpositio permittit, ut transposita teneant quasi eandem virtutem in ipsa forma; ut si diceretur: In nomine Filij, & Patris &c. Et prima transpositio impedit, quia aufert conceptum orationis, ut instituta est.

Quam non certificat locutio poteram, ut vult Lugo.

Contrarium docet Emin. Lugo de Sacramentis disp. 2. sect. 6. num. 112. Quia revera (inquit) apud Latinos Poetas ille modus loquendi usitatus est.

Respondeo modum loquendi Poetarum esse particularem, & non communem, cum à plerisque non intelligatur. Porro forma Baptismatis instituta est secundum usitatum modum loquendi, ut vidimus conclusionem præcedenti. Ex quo ad minus sequitur dubietas hujus formæ.

§9. *Secunda variatio (prosequitur Scotus) non impedit. Probat: Quia est congruum esse servare ordinem proferendo personas, qui est perso-*

narum secundum originem, & necessarium sit hoc quantum ad ministrum; tamen non videtur omnino necessarium ex parte Sacramenti: quia persona quocumque ordine nominata, sunt unum efficiens principale in Baptismo, & ut sic invocantur.

Consonat D. Bonav. 4. dist. 3. parte prima q. 3. a. 4. ibi: Ad id quod queritur de transmutatione, dicendum quod si fiat simpliciter sine erroris dogmatizatione, non impedit. Subjungit rationem: Quia ordo intelligitur in ipsis verbis, quod Filius à Patre procedat. Et sic non oportet exprimere ordinem, ita sicut nomina personarum.

Ratio itaque primæ partis conclusionis est: quia talis forma satis exprimit causam principalem; quod tantum exigit Concilium Florentinum, fitque per eam, & in eâ expressi & propria invocatio ac professio Trinitatis sub propria appellatione personarum. Ultimum patet. Primum probatur: quia tres personæ sunt causæ principales quatenus sunt unum in natura, auctoritate & potentia; non autem prout dicunt ordinem originis: quippe non competit potestas Patri quia Pater, sed quoniam Deus; & ita de alijs: unde ad eandem indivisibilem agunt actione.

Objicies: sed alia est institutio Christi. Respondeo negativè; siquidem institutio sumit suam explicationem à fide explicita, quam proficitur suscipiens Sacramentum; hæc autem est, quæ credit tres personas in una essentia; id enim dumtaxat accommodatur communi captui: ordo verò originis & modus procedendi personarum excedit captum communem & simplicium, & vix à doctis capitur; neque significatur in forma, nisi quatenus in prolatione personarum servatur ordo, qui est secundum processionem earum; quod non sufficit, ut interpretemur hoc esse de necessitate formæ, cujus usus & fides debet esse communis tam doctis, quam indoctis, idque ex institutione Sacramenti, prout Ecclesia eam declarat.

Doctè autem addidit D. Bonav. supra: Si fiat simpliciter sine erroris dogmatizatione. Enimverò si minister ita transponens, intendat negare ordinem Originis, sive significare Filium esse priorem, nihil facit, vel defectu debitæ intentionis Sacramenti, nolens illud conficere, si Pater non procedat à Filio; vel etiam fortassis defectu formæ: quippe licet hæc non exigat servari ordinem Originis, tamen postulare videtur, ut non positivè excludatur; quemadmodum excluditur, quando illa in verbo fit animo significandi exterius, erroris quem

quem etiam forma illa nata est significare, juxta sententiam, quæ docet, verba, quæ patiuntur varios sensus, accipere determinationem sive determinatam significationem ex intentione proferentis.

Quare tenent Suarez de Virtutibus Theol. disp. 21. de Fide sect. 2. num. 10. Sanchez Sum. lib. 2. c. 8. n. 26. & plures alij, non excusari ab hæresi externa, qui utitur verbis ambiguis, si quidem habeat animum significandi hæresim suam internam, etsi alij propter diversas significationes, quas patiuntur voces externæ, eam non percipiant; v. g. si quis dicat: *Maria non fuit virgo*, volens significare Deiparam. Ergo similiter in præsentis, si dicat: *In nomine Filij, Patris, & Spiritus sancti*, cum animo significandi errorem internum circa processionem Patris à Filio, verè censetur hæreticus externus, quamvis audientes propter ambiguitatem sermonis, hæresim non determinatè percipiant. De quo plura in materia de Fide, ubi de pœnis hæreticorum: hæc sufficiat indicasse probabilitatem istius sententiæ.

His tamen non obstantibus, etiam contraria sententiæ, videlicet formam ita inversam non valere quocumque animo proferatur, à multis constanter asseritur; ut proinde non immeritò annumerari possit & debeat formis dubijs; sicuti eam pro tali

videtur agnoscere Scotus in Reportatis eadem dist. & quæst. n. 6. ibi: *Quidam tamen dicunt, quod si diceretur: Ego baptizo te in nomine Filij, Patris, & Spiritus sancti, non esset rebaptizandus. Credo tamen, quod ordo personarum sit necessarius, ita quod qui destruit ordinem Originis, nihil faceret, sed credo quod talis esset posset rebaptizandus sub conditione.* Ergo censet Doctor talem Baptismum fore dubium, cum absque dubio, & quidem probabili, nemo sit rebaptizandus; nisi fortè Doctor hæc loquatur de Baptismo collato tali forma cum intentione erroris.

Interim probabilius existimamus, quod docuit in primo scripto, quamvis etiam non omninò assertivè, ut indicat ly *Videtur*, quo utitur, dicens: *Tamen non videtur omninò necessarium ex parte Sacramenti.*

Ita ergo intellige primam partem conclusionis, ut licet non sit omninò certa & infallibilis, meritò tamen probabilior & minùs dubia censeri debeat hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Filij & Patris &c.* quàm illa: *Ego Patris baptizo te in nomine Filij &c.*

Et hætenus quidem de principijs intrinsecis Baptismi, materia scilicet & formæ transeo ad extrinseca, quæ non minùs sunt utilia, & seitu necessaria. Incipio autem ab effectu.

Saltem merito dubitari potest.

SECTIO TERTIA.

De Effectu & necessitate Baptismi.

Quod attinet effectum Baptismi, suppono ex dictis præcedenti disp. sect. 4. conclus. 1. 4. & 5. Baptismum conferre gratiam tum habitualementem, tum actualem ex opere operato, & imprimere animæ characterem indelebilem.

Suppono secundò ex dictis præsentis disputatione sect. 1. conclus. 1. Baptismum ex speciali Dei voluntate reddere hominem capacem effectuum aliorum Sacramentorum. Dico *Ex speciali Dei voluntate*: quia sicut de facto nullo alio Sacramento prævio valet Baptismus, & causat gratiam; ita nulla apparet repugnantia, quo minùs, si Deus voluisset, cætera quoque Sacramenta non præmissò Baptismo suos causarent effectus.

Porrò ex eadem voluntate & institutione divinâ, ne utiquam ex natura gratiæ justificantis, præ cæteris Sacramentis

CONCLUSIO I.

Baptismus efficit remissionem omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur.

Sunt verba Concil. Florent in decreto Unionis, ubi agens de effectu Baptismi, ait: *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ &c.* Et ut scires per culpam actualem intelligendam esse, etiam venialem, continuò subjungit: *Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis imungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum celorum & Dei visionem perveniunt.*

Remissio scilicet omnis culpæ & pœnæ;

Ut ex Florentino constet.

N n 3

Cerrè

Suarez. Sanchez. Talibus utens verbis non excusatur ab Hæresi externa;

63. Imò probabiliter nihil facit.

7. Quis sit Baptismi effectus,

Etiâ specialis, ut quæ ex voluntate Dei.